Quelle: http://manuscripta.at/?ID=1007
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Sed pater tantum pater, filius tantum filius, et spiritus sanctus tantum spiritus
sanctus. Eadem tribus aeternitas, eadem incommutabilitas, eadem ma-
iestas, eadem potestas. In patre unitas, in filio aequalitas, in spiritu sancto
unitatis aequalitatisque concordia, et tria haec unum omnia propter
patrem, aequalia omnia propter filium, conexa omnia propter
spiritum sanctum. Diximusne aliquid et sonuimus aliquid dignum deo? Im-
mo vero nihil me aliud quam dicere voluisse sentio. Si autem dixi, non hoc est
quod dicere volui. Hoc unde scio, nisi quia deus ineffabilis est? Quod autem
a me dictum est, si ineffabile esset, dictum non esset. Ac per hoc ne ineffabilis
quidem dicendus est deus, quia et hoc cum dicitur, aliquid dicitur. Et fit nes-
cio qua pugna verborum. Quoniam si illud est ineffabile quod dici non potest,
non est ineffabile quod vel ineffabile dici potest. Quae pugna verborum
silentio cavenda potius quam voce pacanda est. Et tamen deus, cum de illo
nihil digne dici possit, admisit humanae vocis obsequium et verbis
nostris in laude sua gaudere nos voluit. Nam inde est et quod dicitur deus. Non enim
revera in strepitu istarum duarum syllabarum ipse cognoscitur, sed ta-
men omnes latinae linguae socios, cum aures eorum sonus iste tetigerit,
movet ad cogitandam excellentissimam quandam inmortalemque
naturam. Nam cum ille unus cogitatur deorum deus, ab his etiam qui alios et sus-
picantur et vocant et colunt deos sive in caelo sive in terra, ita cogitatur
ut aliquid quo nihil sit melius atque sublimius illa cogitatio cone-
tur attingere. Sane quoniam diversis moventur bonis, partim eis quae
ad corporis sensum, partim eis quae ad animi intellegentiam perti-
nent, illi qui dediti sunt corporis sensibus aut ipsum caelum aut
quod in caelo fulgentissimum vident aut ipsum mundum deum
deorum esse arbitrantur. Aut si extra mundum ire contendunt,
aliquid lucidum imaginantur idque vel infinitum vel ea for-
ma quae optima videtur inani suspicione constituunt, aut hu-
mani corporis figuram cogitant, si eam ceteris anteponunt. Quod
si unum deum deorum esse non putant et potius multos aut innu-

Hic quomodo aut a me dictum est si ineffabilis quidem dicendus est deus.